

11. *Smicromerus* Reut.

Diagn.: Corpus oblongum, parallelum (σ^7) vel ovatum (φ brachyptera), opacum, ubique cum pedibus dense albosquamosum, superne brevius nigro-pilosum; capite marginibus verticis ocularibus concoloribus, fortiter nutante, basi pronoti paullulum angustiore (σ^7) vel huic aequae lato (φ brach.), ab antico viso quinquangulari, infra oculos longe producto, latitudini posticae cum oculis aequae longo (σ^7) vel hac paullo fere longiore (φ), a latere viso altitudine basali multo brevior, vertice immarginato, margine recto, a basi declivi et cum fronte sensim confluyente, utrinque ad oculum puncto nitidulo obsolete ferrugineo instructo, fronte cum clypeo in arcum latum confluyente, hoc fere perpendiculari, depresso, basi mox infra medium capitis posito, genis altissimis, gula obliqua peristomio circiter duplo brevior; oculis in vertice fere transversaliter positus, angulis pronoti haud incumbentibus, margine postice levissime retrorsum vergente; rostro robusto, medium ventris attingente (σ^7) vel sub-attingente (φ); antennis pubescentibus, pilis exsertis destitutis, longe infra apicem oculorum insertis, articulo primo parvo, diametro transversali oculi parum longiore, spatio inter basin antennae et apicem clypei multo brevior, setis rigidis destituito; secundo latitudine capitis cum oculis paullo vel parum longiore, apicem versus sensim leviter incrassato, maris crassiusculo, articulis ultimis breviusculis, simul sumtis secundo brevioribus, quarto tertio paullo brevior; pronoto capiti a supero viso fere aequae longo vel (φ) fere paullo brevior, versus apicem leviter angustato, margine basali recte truncato, disco horizontali; scutelli basi obtecta; hemielytris maris explicatis, cuneo oblongo-triangulari, feminae (an semper?) abbreviatis, apice versus suturam fortiter oblique truncato-rotundatis, membrana omnium angustissima, lineari, clavo discreto, sed fractura cunei nulla; femoribus posticis utriusque sexus incrassatis, tibiis etiam anticis cylindricis, tarsis posticis articulo primo secundo vix brevior, tertio secundo paullulum longiore.